



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

De paucitate amatorum crucis lesv. 11

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

datum paruum, aut nimis vile videbitur. Nō enim paruum est, quod à summo Deo donatur. Etiam si pœnas & verbera dederit, gratū esse debet: quia semper pro salute nostra facit, quicquid nobis aduenire permittit. Qui gratiam DEI retinere desiderat, sit gratus pro gratia data, patiens pro ablata. Oret, vt redeat: cautus sit & humilis, ne amittat.

CAP. XI.

De paucitate amatorum crucis IESU.

HABET Iesus nunc, multos amatores regni sui caelestis, sed paucos baiulatores suæ crucis. Multos habet desideratores consolationis, sed paucos tribulationis. Plures inuenit socios mensæ, sed paucos abstinentiæ. Omnes cupiunt cum eo gaudere, pauci volunt pro eo, aut cum eo aliquid sustinere. Multi Iesum sequuntur, vsque ad fractionem panis: sed pauci vsque ad bibendum calicē passionis. Multi miracula eius venerantur, pauci ignominiam crucis sequuntur. Multi Iesum diligunt, quamdiu aduersa non contingunt.

Luc. 9.
22.

tingunt. Multi illum laudant & benedicunt, quamdiu cōsolationes aliquas ab ipso percipiunt. Si autem Iesus se absconderit, & modicum eos reliquerit, aut in querimoniam, vel in deiectionem nimiam cadunt.

2 Qui autem Iesum propter Iesum, & nō propter suam propriam aliquam consolationem diligunt, ipsum in omni tribulatione & angustia cordis, sicut in summa consolatione, benedicunt. Et si numquam eis consolationem dare vellet, ipsum tamen semper laudarent, & semper gratias agere velent.

3 O quantum potest amor Iesu purus, nullo proprio commodo, vel amore permixtus! Nōne omnes mercenarij sunt dicendi, qui consolationes semper quærunt? nōne amatores sui magis, quàm Christi probantur, qui sua commoda, & lucra semper meditantur? Vbi inuenietur talis, qui velit Deo seruire gratis? *Phil. 2.*

4 Rarò inuenitur tam spiritualis aliquis, qui omnibus sit nudatus. Nam verum pauperem spiritu, & ab omni creatura nudum quis inueniet? Procul & de vltimis finibus pretiū eius. Si de- *Pro. 31.*
 E 6 derit

derit homo omnem substantiam suam, adhuc nihil est. Et si fecerit pœnitentiam magnam, adhuc exiguum est. Et si apprehenderit omnem scientiam, adhuc longè est. Et si habuerit virtutem magnam, & deuotionem nimis ardentem, adhuc multum sibi deest: Scilicet vnum, quod summè sibi necessarium est. Quid illud? Vt omnibus relictis se relinquat, & à se totaliter exeat, nihilque de priuato amore retineat. Cumque omnia fecerit, quæ facienda nouerit, nil se fecisse sentiat.

Mat. 16

Luc. 17

Non grande ponderet, quod grande æstimari possit: sed in veritate seruum inutilem se pronunciet, sicut Veritas ait: Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus. Tunc verè pauper, & nudus spiritu esse poterit, & cum Propheta dicere: Quia vnicus & pauper sum ego. Nemo tamen isto ditior, nemo potentior, nemo liberior: qui se & omnia, relinquere scit, & ad infimum se ponere.

Pf. 24.

CAP.